



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

LVII. De non ieiunando die dominica, nec genu flectendo, similiter, vt in quinquagesima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

ptisterium introire , sed cum episcopo ; nisi forte aut absens fuerit , aut ægrotus.

LIV.

Si qua mulier prægnans desiderauerit gratiam baptismi percipere , quando voluerit , habeat potestatem : nam nihil in hoc participat mater infanti qui nascitur , propterea quod vniciuique propria posse voluntas in confessione monstretur.

De consecr. dist. 4. Si qua mulier prægnans. Ex Concil. Neocæs. Cap. 6.

LV.

* sacramento

Non oportet aliquid aliud in * sanctuario offerri , præter panem & vinum & aquam , quæ in typo Christi benedicuntur : quia dum in cruce penderet , de corpore eius effluxit sanguis & aqua : hæc tria vnum sunt in Christo Iesu ; hæc hostia & oblatio Dei in odorem suauitatis.

De consecr. dist. 1. Non oportet.

LVI.

Forasticis presbyteris , præsentem episcopo vel presbytero ciuitatis , offerre non liceat , nec ministrare in populo , nisi forte illis absentibus.

Alio nomine presbyteri ruris, ut dicitur dist. 95. cap. Presbyteri ruris, ex Concil. Neocæs. cap. 13.

LVII.

† Si quis presbyter propter publicam pœnitentiam a sacerdote acceptam , aut aliqua necessitate , die dominica pro quadam religione ieiunauerit , sicut Manichæi , anathema sit. Similiter & quod ab apostolis traditum Canon tenet antiquus , placuit , tam per omnes dominicas , quam per omnes dies paschæ vsque ad quinquagesimam , non prostrati , nec humiliati , sed erecto vultu ad Dominum orationum fungamur officio : quia in his diebus gaudium resurrectionis dominicæ celebramus.

Dist. 30. c. Si quis presbyter. Burc. lib. 13. cap. 20. luo part. 4. c. 52. † Citat Burcharthus & luo similem Canonem ex Conc. Turon. his verbis : Si quis propter publicam pœnitentiam a sacerdote acceptam, aut pro aliqua necessitate.